



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Dona gratiæ, beneficiaq[ue] Dei, quinam proximis communicare
debeam[u]s: necessitatibus proximorum vtî succurrendum ex charitate.
Can. XXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

modo scire sufficit, quid velim, sed post habitis & spretis etiam aliis omnibus, oportet meam anteferas faciasq; vbiunque didiceris, voluntatem. Quod autem monui, vt meruas ne gratiam meam amittas, aut ne per in gratitudinera negligentiamq; tuam à me deseraris, in hoc prouidendum est, ne hic timor ex desperatione pusillanimitateq; sed ex humilitate, quæ nihilominus spei atque fiducia plena est, nascatur. Si non vales aliorum exercitia imitari, non propterea sis pusillanimitas ac deiecta: siquidem ad aliorum non tam exercitia, quam virtutes respicere habes, quandoquidem vnicuique pro naturali sua complexione, pro vocatione item singulari, qua illum traho, ac ad scopum certumq; finem destino, dona mea distribu. Dedi etiam exercitia eidem congrua, quo nec eadem nec prorsus cõformia possunt esse in singulis, sicut nec singulorum siue natura siue vocatio, quibus plerunque sese accommodat gratia mea) in omnibus est vniformis. Si igitur virtutum exercitia aliena non potes sequi, virtutes eorundem potes imitari. Hæc nanque in omnibus eadem sunt. Potes enim esse humilis, potes esse misericors, potes esse patiens, tametsi earundem virtutum non eosdem actus cum aliis habeas. Est via ad me quæ omnibus Sanctis conformis fuit simul ac vna. Hæc via est charitatis, quæ multipliciter varia sanctorum exercitia in eundem finem mittit. Hanc te oportet ambulare, per quæcunque media tibi ostendero. In hac via charitatis si ambulaueris, hoc est, si me sequuta fueris, omnia ex me accipiendo, & omnia in me referendo, & sub potenti manu mea te humiliando, in cunctis denique quæ agis aut loqueris, me solum intendendo, ac gloriam meam quærendo, non finam te errare, per quamcunque etiam caliginem aut ignorantiam ambulaueris, & quacunque tentatione aut pressura iactata fueris, & quantumcunque à me desertam aut proiectam te putaueris. Itaque respice tu ad vocationem tuam, & huic congrua adhibe exercitia, parata semper de illa pro instinctu meo & pro dispensatione ac beneplacito meo relinquere, mutare, ponere & resumere. Neque anim perfectionem tuam ad huius vel illius mensuram, neque secundum tuam æstimationem, sed ad meum beneplacitum tibi statuere debes, resignata, vt non quod ille aut ille habet, nec quantum tu, sed quantum ego volo tu habeas. Tua igitur perfectio quam desideras, sit esse iuxta voluntatem meam, ac secundum beneplacitum meum in abundantia aut penuria. Opta & ora esse coram me, qualem ego te maximè vellem. Obserua, discere, & sequere gratiæ meæ tractum. Si te ipsam neque in natura, neque secundum spiritum quæsieris, sed me solum perre, intelliges viam & tractum meum quo ire debeas.

Dona gratiæ, beneficiaque Dei quinam proximis communicare debeamus necessitatibus proximorum vti succurrendum ex charitate.

CANON XXXIII.

Filia gratias ac dona quæ tibi dedi, volo vt non negligas. Porro in his vide ne te ipsam quæras, ne tibi ex his aliquid ascribas, ne in heris, ne te iactes, ne gloriaris, ne tibi placeas, sed purè ad gloriam meam omnia impendas. Hoc ante omnia in oculis tuis sit, quod nihil es ex te, nihil potes, nihil habes. Ex me vero solo habes, quicquid habes. Itaque dona mea inaniter & sine fructu ad me redire nolo, sed (sicut in parabola euangelica monui de talentis) cum cõnore ac lucro. Sicut enim

Virtutes omnium potius quam exercitia imitanda.

Via Sanctorum omnium vna quæ sit.

1. Pet. 5

Exercitia qualia cuique adsumenda.

Perfectionem quam vnusquislibet desiderare debeat.

Matt. 23
Mar. 23
Luc. 19

in corpore tuo oculus tuus non sibi tantum est oculus, nec ad vsum & vtilitatem duntaxat propriam est constitutus, sed vt ceteris quoque membris pariter videat: ita quæcunque tibi dedi talenta seu dona, non idcirco tantum dedi vt pro te sola ex his fructum aut vsum capias, sed pro aliis etiam membris corporis mei mystici in te posui dona seu bona, vt per illa tu aliis seruias, subuenias, lucrerisq; & adducas mihi proximos tuos. Ideo enim illis fortasse non dedi quæ tibi dedi, quia in te, & tibi & illis prouidi: quemadmodum ediuersò multa tibi negavi quæ aliis dedi. In hoc tamen quod aliis dedi, ita dedi, vt non illis tantum, sed etiam tibi in illis, quia pro te illis dedi.

A te igitur exquiro vt aliis tu mea dona cõmunices, atq; pro aliis libenter facias, si quæ tu potes, quæ non possunt illi, vt sic vna charitas ex multis vobis vnum faciat corpus: & quicquid in vno membro hoc corpus habeat, etiã pro alio habeat: quia alterum debet alterius participare bonũ ex vnione corporis, & cõmunionem charitatis. Hæc consideratio voluntatis meæ faciat te filia ad seruendũ proximis alacere, ad supportanda eorum onera hilarẽ, ad cõpatiendum mitẽ, ad consolandũ benignam, ad largiendum promptam, ad gratulandum piã, vt nullam prorsus inuidia, nulla contentio, nulla æmulatio, nulla proprietatis alicuius quæstio sit inter vos: sed vt sit inter mēbra eiusdẽ corporis charitas & bonorum meorum cõmunicatio. Nihil enim habes, quod tuum est. Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, sicut dixi, nihil habes, quod non meum est, nihil habes quod tibi soli, id est, propter te solam tibi datum est: sed omnia quæcunque accepisti, tibi commendata sunt tantummodo, vt in vtilitatem totius corporis Ecclesiæ meæ exponenda, pro quibus ratio à te est exigenda. Ea propter nunquã tam sublimi esse debes contemplatione subuecta, nunquã tam bene tibi esse debet mecum, si proximi tui auocaret te necessitas; siue corporalis, siue spiritualis, quin relicta tunc consolatione propria, relicto deniq; contẽplationis illius suauis exercitio seu fomẽto, atq; te ipsa prorsus posthabita, curras ad subueniendũ proximo propter me. Hæc est enim charitas, vt non quæ tua sunt quæras, sed quæ alterius. Et hæc charitas mihi acceptior, tibi vero erit fructuosior omni contemplatione, seu deuotione propria. Porro in omnibus quæ agis, eligis, toleras aut fugis, cura vt ego sum principium medium & finis tuus, vt propter me omnia aut facias, aut dimittas, & in his aliud non quæras, quam gloriam ac beneplacitum meum. Neque enim quia proximo seruis aut misereris, mihi acceptum est sed quia mei causa te, id est, tuam vtilitatem deseris, & proximi necessitatibus succurris, ideo mihi accepta es. Nam si propter aliud, puta propter fauorem, familiaritatem necessitudinem, aut propter commodum & retributionem agis aliquid, quamlibet magnum sit atque præclarum, hoc ego neque recipio neque respicio. Nihil enim sacrificatur, quod mei causa non sacrificatur.

Seruendũ proximo quoniam fit.

1. Cor. 4 Boni nihil solis esse datum.

1. Cor. 10 Charitas quoniam Deo fit acceptior.

Paupertas spiritus quomodo obtineatur, qualis quisque debeat fore in oculis propriis: iniuriam item quamnam solam curare debeamus.

CANON XXXIV.

Quicquid igitur potest manus tua, instanter operare, esuriens & sitiens iustitiã. Nemo te videatur tibi infirmior, nemo magis virtutũ inops, nemo gratiæ meæ plus indigens. Itaq; oculos tuos in tuos defectus semper figens, plan-

Eccle 9 Mat. 5 ge &